



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitvlvm III. Nullus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

SUMMARIUM.

Fines parochiarum, & diœcesium, quomodo præscribi non possint.

NOtandum. Fines parochiarum, Diœcesium, & Provinciarum, & quæ finibus coherent, præscribi nunquam possunt. Ita *Gl. hic in notandis*. Ratio datur in *cit. c. quicumque*, ne Provinciarum termini confundantur, & in *c. inter 6. eadem q.* ne quis terminos alienos usurpet.

Pro majori intellectu adverte, quòd limes est linea, seu longitudo distinguens spatium à spatio, teste *Andræa hic n. 2.* Adhærentia limiti dicuntur, quæ posita sunt, ut signa limitis, videlicet lapis positus in confinibus; in diœcesibus enim, & parochijs discernendis solent esse montes, flumina & paludes. Hæc ita formaliter spectata, quatenus posita sunt ad constituendos terminos, seu fines diœcesis, mutari per præscriptionem non possunt, quia constituti sunt fines, ut in æternum maneant: exempli cauâ; usque ad Ecclesiam positam in radice montis, tendit Episcopatus N. post Ecclesiam illam incipit Episcopatus confinis. Interim verò nihil prohibet, quin Episcopus per præscriptionem, saltem immemorialem, vel 40. annorum cum titulo præscribat Ecclesiam positam intra diœcesin alterius Episcopi, quæ tamen non cohareat finibus, siue non sit constituta ad significandos & discernendos fines, uti sumitur ex *cit. c. inter, junctâ Gl. & docent Doctores apud Andræam hic n. 3. Abbas n. 6. & dixi lib. 3. tra. 1. c. 8. n. 14.* Ratiò discriminis est, quia si Episcopus Ecclesiam, quæ intra alienam diœcesin est, per præscriptionem suæ jurisdictioni subiciat non idèò confunduntur termini antiqui diœcesis, sicuti in casu priore confunderentur, quandoquidem Ecclesia, quæ antea erat intra diœcesin hanc, transiret ad diœcesin alteram. His duo adde. Tametsi plerique sentiant, hæc locum etiam habere in finibus Regnorum, & Dominiorum *argum. L.*

Yy 2

agros

si idonei sint, & n. 18. in privilegio prædicandi etiam novitios comprehendendi, *argu. c. Religio 21. S. quamvis de sententia excommunicationis in 6.*

CAPITVLVM III.

Nullus.

PARAPHRASIS.

Episcopus alterius Episcopi diœcesanum judicare non potest, cum neque ordinare possit.

NOtandum. Argumentum procedit à minore ad majus, negativè videlicet, cum Episcopus sibi non subditum, seu qui alterius diœcesis est, ordinare non possit *c. 1. causa 9. q. 2.* sequitur, quòd nec judicare possit: nam iste actus jurisdictionis contentiosæ coactionem habet, & idèò erga non subditum non rectè exercetur. At verò ordinariè referri potest ad jurisdictionem voluntariam, cui aliquis se sponte subijcere potest, & tamè requiritur, ut ordinandus subditus sit Episcopo ordinanti, nisi à proprio Episcopo dimissorias habeat.

CAPITVLVM IV.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Dubitatum fuit, num ea, quæ in sacris canonicis decreta reperiuntur *c. quicumque & sequentibus causa 16. q. 3.* de finibus provinciarum, ac diœcesium, iisque, quæ finibus adhærent non præscribendis, etiam in parochijs locum habeant, ut & ipsarum fines & quæ finibus coherent, præscribi non possint. Respondet Urbanus III. de utrisque, intellige, dummodo per legitimam probationem, vel aliàs indubitatâ fide constiterit, fines auctoritate Ecclesiasticâ constitutos esse.